

tim ad mortem disponatur, vel certe cogatur ferre vitam doloribus et afflictionibus plenam: tunc ergo non obligabitur in conscientia ad ibi sua sponte permanendum. Et ideo credere non possum quod Navar. ait, damnatos ad trimes teneri in conscientia ad non fugiendum, etiamsi possint; nam hoc nimis violentum est, et ad ministros justitiæ spectat custodire. Excipio tamen casum in quo fuerit data fides, præsertim jurata; nam tunc justa promissio servanda est, et maxime est implendum juramentum, juxta ea quæ late dixi lib. de Juram., cap. 10. Et hac ratione specialiter possunt obligari religiosi puniti ad carcerem, ad servandum illud, quia voto obedientiæ obligantur, et specialiter obligari possunt ad talem clausuram servandam juxta regulam, vel in pœnam justam et suo statui consonam.

17. Ex eisdem principiis judicandum est de pœna exilii; ad illam enim obligari potest reus in conscientia postquam condemnatus est, quia non habet injustitiam, vel crudelitatem ex hoc præcise quod per actionem ejusdem hominis executioni mandetur: et ita fatetur etiam Covar. cum cæteris. Oportet autem ut per verba sententiæ hæc obligatio satis exprimatur; nam, si aliquis condemnatur ut deportetur in exilium, non tenetur exire, donec deferatur, postea vero tenebitur non redire intra tempus præscriptum. Si autem simpliciter condemnatur ad exilium, videtur utrumque præcipi. In quo attendendum maxime est ad communem usum, et modum quo solet talis pœna præcipi vel executioni mandari, et ad promissionem et pacta quæ in hoc intervenire solent, et ad modum quo leges loquuntur: inde enim facile colligitur quantasit hæc obligatio. In universum tamen loquendo, delatio extra territorium solet per coactionem et ministerium judicis fieri; commoratio autem extra regnum, seu non reditus ad illud, solet sub obligationem imponi. Sicut e contrario in pœna carceris perpetui delatio ad locum constitutum solet esse coacta, seu per executionem judicis, detentio autem sub obligationem relinqui. Regulariter enim facilius præcipiuntur hæ quasi privationes quam actiones, et ordinarie solent judices constituere reos in statu (ut sic dicam) talis pœnæ, et illis imponere ut sub illa permaneant. In rigore autem utrumque possunt committere reo, præcipiendo illi ut totum exequatur, quod etiam sæpe faciunt. Et, licet addant comminationem aliarum pœnarum, nisi priores observent, nihilominus etiam obligant in cons-

cientia, quia præceptum est justum, et comminatio pœnæ non minuit obligationem, ut supra dictum est. Altera pœna corporalis potest esse flagellatio moderata, et non turpis, neque infamis, et ad hanc etiam obligabitur reus post sententiam latam, si constet in eo sensu ferri, propter eandem rationem, quod talis pœna, ut proponitur, non sit per se injusta, nec inhumana. Non solet tamen talis pœna esse in usu, nisi in religionibus, et aliquando in foro ecclesiastico, ut in sancto officio inquisitionis. Frequentius tamen mandatur executioni per ministerium personæ ab ipso reo distinctæ. Denique idem cum proportionem dicendum est de pœna jejunii, et similibus, quæ in ecclesiastico foro interdum solent imponi.

18. De pœna pecuniaria.—Tertio, dicendum est in pœnis pecuniariis facilius posse obligari reum in conscientia ad solvendas illas, eo ipso quod condemnatus est, quando pœnæ sunt ordinariæ, et moderatæ. Ratio est, quia nec repugnantia, nec nimia difficultas in hoc invenitur. Solum sunt attendenda verba sententiæ; nam, si reus simpliciter condemnatur ad talem pœnam, satis erit si illam solvat quando fuerit postulata, ut Cov. dixit, et mihi placet, quia pœnæ sunt leniendæ, ubi contrarium non constat; unde, si absolute condemnatur reus ut ipse solvat, tenebitur sponte sua facere, quia est satis clarum præceptum, et justum. Et in hoc revera non dissentit Covar. a communi sententia. At hinc obiter colligitur, si reus post hujusmodi sententiam moriatur, non soluta pœna reali, teneri hæredem ad solvendam illam eo modo quo reus tenebatur, quia succedit in eodem onere, Bald. in lib. *Id quod pauperibus*, c. de Episc. et cler., quæst. 9; Castro, dicto lib. 2, cap. 3. Quod autem dicitur in lib. *Si pœna*, ff. de Pœnis, pœnam ad hæredem non transire, vel intelligitur de pœna corporali, vel de pœna quæ nondum fuit debita, vivente reo, quia nondum erat sententia lata, nec per judicem, nec per legem: tunc enim pœna etiam pecuniaria non transit ad hæredem. Sed habet locum alia regula, quod morte finiuntur delicta quoad humanum forum, juxta cap. *Quorundam*, 23, d. l. 2, c. Si reus vel accusator, etc.; solum, quando pœna est ipso jure lata, et incursa ipso facto, potest agi post mortem ad declarationem delicti et executionem pœnæ, ut fit in crimine hæresis, ut notant Castro, lib. 2 de Justa hæ. punit., c. 19, et Simanc. de Cathol. instit., tit. 18, estque expressum in cap. *Accusatus*, § *In eo*, de Hæret., in 6. Unde fit ut,

etiamsi post mortem innotescat delictum et per sententiam declaretur, confiscentur bona et auferantur ab hærede, quia cum illo onere ad illum pervenerunt, nisi per quadraginta annos bona fide illa præscriperit. Nam tunc titulo præscriptionis confirmatum est dominium, et illud onus sublatur, cap. *Si quis*, de Præscript., in 6. De qua re in materia de Hæresi latius.

19. Ex his ergo sufficienter responsum est argumentis aliarum opinionum. Nam rationes primæ opinionis probant non excedere officium et potestatem judicis, hanc obligationem imponere; ratio autem posterioris sententiæ ad summum probat aliquas pœnas esse ab hac generali regula excipiendas. Solum oportet pauca dicere de c. *Suam*, quod immerito ad præsentem causam adducitur. Nam imprimis in illo non agitur de pœna ipso facto imposita, sed solum de secunda pœna (ut sic dicam) imponenda non solventi priorem pœnam intra certum terminum, de qua solum dicitur: *Essetque pœna triginta librarum apposta, nisi eas solvoerent in termino constituto*. Ubi nullus terminus additur significans impositionem talis pœnæ ipso facto: unde inferius dicitur: *Eos in præfatis triginta libris tibi per delegatum judicem condemnari obtinuisti*. Ex quibus verbis constat auctores non tantum sententiam declaratoriam, sed etiam condemnatoriam procurasse, et ita textus ille non potest applicari contra superioris dicta de pœna imposita ipso jure per legem, et jam debita post sententiam declaratoriam.

20. Ultra hoc vero textus ille nullo modo facit ad causam, quia ibi non simpliciter reprehenditur Episcopus, quia petebat reum damnari in pœna imposita per legem, sed quia *veritate tacita litteras contra clericos impetraverat*. Nam pœna illa imposita illis fuerat, nisi intra certum tempus quadraginta libras solverent; illi autem triginta tres solverant intra terminum, et Episcopus, occasione residuarum septem librarum, contra eos impetraverat litteras, *veritate tacita* (ut ibi dicitur), tacendo nimirum solutionem triginta trium librarum, et simpliciter debitum triginta librarum vel aliquid simile narrando; quæ fuerat manifesta subreptio, quia non erat æquum integram pœnam postulare, cum tarditas in solvendo tantum in minima parte fuisset. Ultra hoc, fortasse ille Episcopus non declaraverat modum et causam illius novæ exactionis triginta librarum, scilicet, quod fuisset occasione alterius pœnæ non solutæ, sed solum quod clerici erant

debitores illarum librarum, quæ erat nova subreptio, quæ colligitur ex illis verbis: *Quia igitur te non decet tantum pontificalis modestiæ oblivisci, ut inhonestis quæstionibus anhelando, desideres cum aliena jactura ditari*. Nam hinc colligitur Pontificem non intellexisse modum illius quæstus, et non fuisse concessurum litteras pro tali causa, si fundamentum illius sibi narratum fuisset. Et ideo quasi in pœnam subreptionis imponit silentium Episcopo quoad petitionem illius secundæ pœnæ triginta librarum.

21. Non potest igitur ex tali responso colligi non teneri in conscientia eum, qui damnatus est ad justam pœnam, eam persolvere, sed potius inferri potest illos clericos non fuisse juste damnatos; tum quia sententia fundata fuerat in litteris subreptitiis, tum etiam quia non debebatur integra pœna pro tam levi parte non in tempore soluta, et hoc multum indicat Gloss. ibi. Addo etiam ex illo textu non posse absolute colligi esse injustum aut inhonestum agere contra aliquem ad condemnationem pœnæ contractæ, ex eo quod incidit in commissum, sed ad summum id non decere per similem subreptionem, vel propter tam parvam transgressionem totum petendo. Nam alias, per se loquendo, non est malum nec semper indecens agere contra alium ad solutionem pœnæ justæ obtinendæ, ut videri potest in Fortunio, tractatu de Ultimo fine, illat. 18; Covar., 2, p. 4, cap. 6, § 8, n. 11; Sarmient., l. 3 Selectar., c. 6, n. 4, et Nav., c. 23, n. 67; Simanc., de Cathol. inst., tit. 9, n. 178.

CAPUT XI.

UTRUM LEX PŒNALIS OBLIGET JUDICEM AD PŒNAM IN EA PRÆSCRIPTAM IMPONENDAM.

1. Duos respectus habet lex pœnalis, unus est ad subditos, quorum facta prohibet aut præcipit, de quo hactenus dictum est; alius est ad judicem, de quo dubitatur an imponat illi obligationem. Nam in superioribus solum diximus, pœnam legi apponi ad instruendum judicem, et hoc sonant jura; ergo non est cur addamus obligationem, quæ longe diversa est; præsertim quia in his legibus non solent apponi verba præceptiva respectu judicum, sed tantum subditorum; ergo saltem ubi non fuerint expressa, non erit talis obligatio. Item quia si esset talis obligatio, non liceret interpellare pro reo, rogando judicem ut remittat pœnam, quia non licet petere ut agat contra

obligationem suæ legis; consequens est contra communem morem timoratorum et religiosorum, quem fuisse a Sanctis, et antiquis Patribus observatum, constat ex Sozomeno, l. 1 Hist., cap. 13, ubi de sancto Antonio loquitur; et simile de D. Ambros. refert Niceph., lib. 2 Histor., cap. 41, et Sozomen., lib. 7 Histor., c. 24, et de antiquis monachis refert Cassian., collat. 14, c. 4. Constat denique ex D. August., Epist. 54, 127, 258 et sequenti, et refertur in Decretis, 23, q. 5, cap. 1 et sequentibus.

2. *Legem obligare judicem, ut secundum eam judicet, et puniat reum sufficienter convictum.*—Nihilominus dicendum est hujusmodi legem obligare judicem, ut secundum illam judicet, et puniat reum sufficienter de crimine convictum. Est communis conclusio cum D. Th. 2. 2, q. 66, art. 5, et q. 67, art. 4; tradit Soto lib. 3 de Just., q. 4, art. 5, et sumitur ex jurisperitis, quos statim referemus, et ex Aristot., 5 Ethic., cap. 6, et 3 Polit., cap. 10. Estque sententia D. Aug., lib. de Vera relig., cap. 31, et refertur in cap. *In istis*, dist. 4: *Non licet*, inquit, *judici de legibus judicare, sed secundum ipsas*; et Greg., in c. *Summopere*, 11, q. 13: *Divina et humana lex revolvatur, et secundum quod ibi definitum est proferatur sententia*. Ratio etiam reddi potest primo, quia si lex poenalis imponat poenam ipso facto, ad judicem proprie non spectat poenam imponere, sed sententiam super delictum proferre, et executioni poenæ incumbere; utrumque autem horum manifeste cadit sub obligationem judicis. Primum quidem, quia tenetur secundum veritatem probatam proferre sententiam; secundum autem, quia est minister et executor justitiæ. Et quamvis hæc obligatio magis ex munere ipso, et lege naturali, quam ex lege puniente reum, oriri videatur, nihilominus etiam dici potest oriri ex tali lege, quia non nisi ratione illius determinatur obligatio exequendi talem poenam potius quam aliam.

3. At vero si lex imponat poenam ferendam, obligat judicem ut illam imponat, et inde etiam sequitur altera obligatio, scilicet, ut post condemnationem illam exequi faciat, ne inutilis et frivola sit condemnatio. Et ita hoc posterius per se notum est. Primum autem ostenditur, quia lex imponens poenam ferendam, etiam sub ea ratione est vera lex, et ut sic magis fertur ad judicem quam ad reum, adeo ut Castro supra dixerit solum habere rationem legis respectu judicis, quia antequam ipse judicet non obligat in conscientia reum, regulariter loquendo; ergo saltem necesse est

ut ipsum judicem obliget ad imponendam poenam; alias talis lex in ordine ad hunc effectum valde esset inefficax; ergo ita instruit judicem, ut obliget etiam illum sive expresse sive tacite: nam ex natura rei ad judicem dirigitur verba legis. Secundo, explicari potest ratio, quia, eo ipso quod lex taxat poenam, tenetur judex ex vi sui muneris ad imponendam illam. Probat, quia tenetur servare æquitatem in poena imponenda, cum sit judex justitiæ; hæc autem æquitas resultat posita lege: nam ante illam solum erat æquitas naturalis, quam prudenti arbitrio discernere et servare tenetur judex: posita autem lege, resultat æquitas legalis, quam etiam servare debet, quia est custos et executor legum, et quasi animata lex.

4. Per hæc igitur satisfactum fere est rationibus dubitandi in principio positis. Ut autem ultimam et rem totam magis explicemus, advertendum est duo posse in hac æquitate poenæ considerari et distingui: unum est, ut poena non excedat terminum præscriptum a lege; aliud est, ut ab illo non deficiat. In primo horum est manifestior obligatio, quia non solum justitia legalis, et obligatio proprii muneris respectu reipublicæ, sed etiam ipsa justitia commutativa respectu rei obligat judicem ad vitandum illum excessum. Ratio est, quia non potest a reo juste exigi plus quam debeat, sicut neque a quolibet debitore; posita autem lege taxante talem poenam, qui contra illam committit, fit reus et debitor talis poenæ, et non majoris; ergo quidquid mali ultra illam infertur hujusmodi reo, non est poena, sed injuria. Unde fit ut in eo casu teneatur judex satisfacere, seu restituere reo damnum, vel nocumentum, quod ex illo excessu ipsi evenit, quia justitia commutativa obligat ad restitutionem.

5. Dices: lex taxans poenam non excludit prudens judicis arbitrium, ut, si ratione circumstantiarum viderit reum esse dignum graviore poena, possit illam augere. Quod usu etiam observari videtur. Respondeo, imo ad hoc præcipue poni hujusmodi poenas in legibus, ut non maneant arbitrariæ, sicut taxantur pretia rerum, ut tollatur arbitraria æstimatio, saltem quoad augmentum pretii. Per hoc autem non tollitur, quominus si delictum habuerit extraordinarias circumstantias, quæ illud atrox vel gravissimum reddant, possit judex prudenti arbitrio illas specialiter punire, quia dignæ sunt speciali poena, et hoc non excluditur per legem, quæ loquitur de delicto,

ut ordinarie committi solet, et non excludit providentiam ad bonum commune; et ad aliorum exemplum necessarium est, ut sumitur ex l. *Quidquid ergo*, § *Pœna*, ff. de His qui notantur infam., ubi Glos. verb. *Onerasset* id notat.

6. *Obligatur judex ad statuendam totam poenam quando secus faceret contra jus tertii, ut in poena pecuniaria applicata parti læsæ.*—Circa diminutionem autem poenæ, ulterius advertendum est aliquando esse poenam legis, quæ in aliorum utilitatem et commodum cedit, ut est poena pecuniaria, quæ interdum applicatur parti læsæ, interdum fisco, vel aliis. Aliquando vero poena tantum est in vindictam ad satisfactionem reipublicæ, et præservationem aliorum, ut est poena corporalis. Quando igitur poena est prioris rationis, intervenit obligatio non solum legis, sed etiam justitiæ ad non diminuendam illam; quod maxime verum est, si talis poena ipso facto per legem imposita sit: nam tunc acquiritur jus alteri, cui talis poena per legem applicata est, quia post latam sententiam declaratoriam criminis, statim lex ipsa transfert jus in illum; ergo injustitia illi fit, si tali jure privetur. Idem autem esse existimo, etiamsi poena legis non sit ipso facto, quia aliquod jus acquiritur alteri ad pecuniam illam, et juste petit a judice ut illud sibi servet, teneturque judex ex officio reddere illi jus suum; ergo contra illum injustus est, si talem poenam ei non applicet. At vero quando poena tantum est vindictiva, seu corporalis, non intercedit hoc genus injustitiæ respectu tertii, quamvis poena minuatur.

7. *Remissio poenæ vindictivæ seu corporalis illicita, quando contra commune bonum.*—Nihilominus tamen duplici alia ratione illud non licet. Primo, quia est contra commune bonum, atque adeo contra legalem justitiam, quod delicta maneant impunita, aut non satis punita, quia est moralis occasio ut multiplicentur. Secundo, quia judex ex officio suo, ac proinde ex justitia, tenetur observare leges justas, quæ ad bonum commune ordinantur; imo et facere et procurare ut servantur: lex autem, quatenus imponit justam poenam, justa est, et ad commune bonum necessaria; ergo. Tandem dici potest respublica acquirere speciale jus in talem personam delinquentem, ut ab illa sumat justam vindictam: ergo non potest voluntate judicis illo jure privari.

8. *Differentia communiter tradita inter superiorem judicem et inferiorem quoad remissionem poenæ licitam, difficilis videtur in foro*

conscientiæ.—Solet autem hæc generalis doctrina limitari, ut locum habeat in ordinariis judicibus: non autem in supremo principe, vel rege, quia illi licitum est poenam reo committere. Docet D. Th. 2. 2, q. 67, art. 4, quem alii communiter sequuntur, et idem tradunt juristæ in leg. *Nulla juris ratio*, ff. de Legib. Quæ doctrina in exteriori foro facile admitteatur, quia princeps impune id faciet; inferior autem judex puniri ob eandem causam poterit, si in casibus non permissis id faciat. At vero in foro conscientiæ videtur difficilis ea differentia, et ita Soto supra indifferenter de utroque loquitur, quia vel est sermo de remissione ex sola voluntate sine ratione, vel ex causa justa: prior modus etiam principi non licet in conscientia, quia supra dictum est legem justam obligare principem quoad vim directivam; posteriori autem modo, etiam inferior judex potest interdum remittere poenam legis, ut notat Glossa citata in dicto verb. *Onerasset*, et Fel., multa referens in cap. 1 de Constit., n. 49, et sumitur ex Decio ibid., lect. 2, num. ult. Possunt enim occurrere plures legitimæ causæ hujus remissionis, quibus occurrentibus, judicibus hæc potestas committitur; ut sunt ætas ad tolerandum poenam insufficientis, qualis esse potest senectus et pueritia, ut patet ex l. *Adrian.*, ff. de Term. moto, et l. *Auxilium*, ff. de Min. ibi: *Nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mitiorem poenam judicem perduxerit*; in poena autem pecuniaria causa remissionis solet esse paupertas, in l. *Illicitas*, § ult., ff. de Offici. præsi. Multum etiam refert modus probationis; nam, si reus non est omnino convictus, temperanda est poena. Item modus peccandi considerandus, ut si ex passione, etc., l. *Absentem*, ff. de Poen. De qua videri potest Felin. in c. *Qualiter et quando*, 2, de Accusat., a num. 29; et latissime Tiraq., tract. de Poen. temperan.

9. *Verum discrimen inter principem et inferiorem judicem, facilius nempe posse indulgere, non pro mero arbitrio.*—Respondetur, utrumque quidem verum esse, scilicet, et inferiores judices posse justis ex causis temperare poenas, et principem non posse mero arbitrio, et sine ulla prorsus causa indulgere peccantibus: nam sine dubio esset magnum reipublicæ nocumentum. Nihilominus tamen aliquod intervenit discrimen; nam facilius hoc facere potest princeps quam judex. Nam inferior solum id potest, vel in casibus jure expressis, vel consuetudine receptis, aut certe per modum epiikæ, quando non est facilis recursus ad superiorem. At vero

princeps habet supremam potestatem, et ad interpretandam legem, et ad dispensandum, quotiescumque prudenter judicaverit causam esse sufficientem et rationabilem; unde inferior iudex vix potest aliquando minuere poenam, nisi quando etiam tenetur, quia nimirum lex vel consuetudo disponit ut in eo casu minuatur, aut ratio æquitatis necessario id postulat. Princeps autem sæpe potest dispensare, etiamsi non teneatur. Item aliquando potest juste id facere in gratiam subditorum, ut se illis ostendat benignum et liberalem, ut eos benevolos et obsequentes habeat. Sicut Pontifex sæpe censetur juste indulgentiam concedere ob similem causam. Item potest facere remissionem in gratiam alterius principis id postulantis; nam hæc beneficentia mutua necessaria est, et redundat etiam in bonum commune; item propter utilitatem personæ quæ deliquit, vel propter priora obsequia, potest interdum juste cum illo in poena dispensare. Et facile est alias similes rationes excogitare, quæ in inferioribus iudicibus non sufficiunt. Estque alia differentia, quod princeps potest antecedenter, ut sic dicam, concedere privilegium, ut aliquis non possit tali poena puniri, quod non possunt inferiores iudices. Alia etiam notatur a Glossa, et doctoribus citatis, quod iudex, licet ante latam sententiam possit interdum illam temperare, post latam sententiam nihil potest, quia jam functus est officio suo. Princeps autem interdum potest, dummodo non redundet contra jus alteri quæsitum, seu in damnum tertii. Nam hoc non potest juste princeps inferre nisi tantum intersit bono communi, ut propter illud privari possit particularis persona jure suo.

10. Hinc ergo facile intelligi potest quid ad ultimam rationem dubitandi respondendum sit. Nam imprimis cavendum est, si pecuniaria sit poena certæ personæ applicanda, ut illius remissio non procuretur cum detrimento tertii, quod vel sit injustum, vel charitati non consentaneum. Ut enim dixit Ambr., 3 Offic., cap. 9: *Si non potest uni subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvare, quam gravare alterum; ideoque in causis pecuniariis intervenire non est sacerdotis, quia frequenter fieri non potest, quin alter lædatur. Sacerdotis ergo est nulli nocere, prodesse velle omnibus, posse autem solius Dei est, cap. Denique, 14, q. 5. Unde Aug. supra, in hujusmodi casibus (inquit), non cum iudice, sed cum alio tertio intercedendum esse, ut remittat poenam.* Deinde in aliis poenis, quæ tantum ad bonum com-

mune ordinantur, habenda etiam est ratio boni communis; nam si delicta sunt frequentia, vel delinquens obstinatus est vel incorrigibilis, aut scandalosus, vitanda est intercessio: ita enim est indigentibus subveniendum, ut justitia non lædatur. Quomodo exponit D. Thom. 2. 2, q. 62, a. 4, ad 3, illud Exodi 23: *Pauperis non misereberis in iudicio*, scilicet, contra justitiam, multoque minus contra commune bonum. Duo igitur juste postulari possunt: unum est, ut, si res fuerit aliquo modo dubia, mitior interpretatio fiat: id enim et rationi et regulæ juris consentaneum est, cap. *In penis*, de Reg. juris, in 6, cap. *Alligant*, 26, q. 7, ubi inter alia inquit Chrysostomus: *Melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem*; ubi Glossa limitat hanc regulam, nisi reus obstinatus sit et incorrigibilis, et spes emendationis non præbeat: tunc enim etiam in casu arbitrario, rigore potius quam benignitate cum illo utendum est. Secundo, ut ait Augustinus supra, generatim postulari potest, ut tantum de poena remittatur, quantum intra latitudinem justitiæ fieri potuerit, sive in gravitate poenæ, sive in modo, aut tempore ejus, vel in aliis circumstantiis, quæ frequenter ex voluntate iudicis pendet.

11. *Si leges ipso facto imponant diversas poenas, omnes incurri per idem delictum, vel ante, vel post contumaciam.*—Posset autem hic consequenter tractari an iudex, inique agens remittendo poenam legis, teneatur ad aliquam restitutionem, vel ratione nocenti inde secuti reipublicæ, aut tertiæ personæ, aut ratione carentiæ lucri, quod in poenis pecuniariis solet accrescere illi cui talis poena esset applicanda. Sed hæc quæstio pertinet ad materiam de Restitutione, et de Offic. iudicis, ex quo nasci potest talis obligatio, si quæ est, et ideo illam remitto in 2. 2, quæst. 62 et 67. Deinde posset etiam inquiri, quando poenæ multiplicentur in distinctis legibus, an sint omnes imponendæ, seu exequendæ, vel altera tantum. Quod tractant juristæ, ad quos hoc magis pertinet, ut Bartol. in leg. 2, ff. de Vi bon. raptor.; Anania, in cap. *Quod olim*, de Judæ.; Navar., in consil. 10 de Const., et attingit in cap. *Ita quorumdam*, de Judæ.; Glos. ultim., n. 24, 29 et 30. Breviter tamen dico, si leges ipso facto imponant diversas poenas, tunc omnes incurri per idem delictum, vel ante, vel post declarationem, juxta verba legis. Probat, quia non est major ratio de una poena quam de alia: ergo vel neutra, vel utraque incurritur. Pri-

um autem dici non potest, ut per se constat: ergo secundum. Nec etiam dici potest, incurri solam poenam impositam a posteriori lege, quia posterior lex poenalis non revocat diversam poenam positam a priori lege, nisi ubi ex verbis, aut modo legis constat hanc esse mentem legislatoris, ut supra Navar. ex multis tradit, et dicemus infra tractando de abrogatione legum. At vero, quando poena est ferenda per iudicem, juristæ frequentius dicunt, in arbitrio iudicis esse unam vel alteram poenam legum imponere, non vero debere imponere plures simul. Quod etiam intelligendum puto, nisi sufficienter constet de mente posterioris legislatoris, voluisse addere poenam poenæ, illas multiplicando, quod fieri sæpe solet ad coercendam delictorum frequentiam, et delinquentium contumaciam.

CAPUT XII.

UTRUM IGNORANTIA EXCuset POENAM LEGIS.

1. Dupliciter potest quis excusari a poena legis sustinenda, vel quoad executionem tantum, vel quoad reatum et debitum; priorem modum attingimus capite præcedenti, scilicet, per dispensationem, remissionem in integrum, vel in parte, vel per commutationem. Ita enim revera fit, quando delinquens contraxit totum debitum poenæ, postea vero vel propter paupertatem, vel debilitatem virium, aut alias justas causas, vel non potest poena executioni mandari, vel non expedit, et ideo vel remittitur, vel commutatur. De alio ergo modo dicendum est in præsentem, videlicet, quando ex circumstantia, vel modo operandi excusatur quis ne fiat etiam debitor poenæ, vel saltem non tantæ poenæ, etiamsi fuerit legis transgressor. Et quamvis ex pluribus causis possit hæc excusatio oriri, nihilominus quia ignorantia frequentius allegari, vel intercedere solet, ideo de illa in particulari dicemus, et per similitudinem rationis, poterit doctrina ad alias excusationes facile applicari. Oportet autem nonnullas distinctiones ignorantie præ oculis habere, quæ latius in 1. 2, quæst. 6 et 76, traduntur. Nam ex parte modi est vulgaris distinctio ignorantie in probabilem, quæ invincibilis, et inculpabilis, et antecedens dici solet, et in improbabilem, seu culpabilem, aut vincibilem, seu consequentem (concomitantem autem omitto, quia, ut talis est, mea sententia, neque accusat neque excusat quoad exteriorem actum). Solet autem ignorantia culpabilis dis-

tingui in affectatam, crassam, et generaliter vincibilem. Verumtamen de affectata non loquor, quia nihil excusat; omnis vero alia, si talis sit, ut non excuset a culpa mortali, crassa, et supina in universum dici potest: si autem solum habeat admixtam negligentiam venialem, non est culpabilis, nisi secundum quid, recteque dicitur ignorantia levis. Loquor autem theologice: nam juristæ in ordine ad aliquos effectus juris aliter solent hanc ignorantiam culpabilem distinguere in illam, quæ ex lata, levi, vel levissima culpa procedit, ut videri potest in Covar., in 4, 2 p., cap. 6. § 8, n. 12, et in reg. *Possessor.*, 2 p., § 7; quæ distinctio nunc nobis necessaria non est.

2. Ulterius ex parte rei ignoratæ potest dari ignorantia, vel totius legis et prohibitionis ejus, vel solius poenæ, ut quando quis non ignorat esse prohibitum, verbi gratia, hodie comedere carnes, ignorat tamen aliquam censuram vel poenam illi peccato annexam. Et deinde quando ignoratur prohibitio ipsius legis humanæ, potest actus esse alias intrinsece malus, vel divina lege prohibitus, quod non ignoratur: aut potest tantum esse malus, quia prohibitus; ac proinde, si probabilis ignorantia humanæ legis interveniat, erit non malus, ac subinde bonus, vel indifferens. Denique nulla interveniente ignorantia juris, potest intercedere ignorantia facti, quia nimirum opus non putatur esse tale, quale per legem prohibitum est. Hæc de ignorantia. De excusatione vero distingui potest utrum sit in foro conscientie, vel in externo, vel in utroque simul. Ad utramque excusationem intelligendam, conferet animadvertere an poena sit ipso jure lata, vel tantum ferenda.

3. *Omnis ignorantia quæ excusat factum ne peccatum sit, excusat poenam debitam in utroque foro per se, nisi aliud in lege exprimitur.*—His positis, est prima generalis regula: Omnis ignorantia quæ excusat factum, ne peccatum sit, excusat etiam debitum poenæ in utroque foro. Est communis sententia doctorum in cap. 2 de Constit., et videri potest Castro., lib. 2 de Leg. poen., cap. 14; Tiraq., lib. 1 de utroque retract., § 35, Glos. 4, n. 27, qui refert alios, et probatur ex dict. cap. 2 de Constitut. dicente: *Quod culpa caret, in damnatum vocari non debet*; et facit regula: *Cessante causa, cessat effectus*, cap. *Cum cessante*, de Appellat. Probat etiam ex cap. *Apostolicæ*, de Clerico excommunicato ministrante, et cap. *Ut animarum*, de Constit., in 6, cap. *Proposuiti*, dist. 82: *Ignorantibus*, inquit, non